

eciam requisicionem et directionem in omnibus premissis sponte et bona fide nos suscipere pro nobis et nostris successoribus promittimus et spondemus. Denique ne reddamur ingrati de tanta benivolencia ac beneficencia nobis ac monasterio nostro exhibita, de communi et concordi consensu fratrum obligamus nos, quod dictis temporibus quibus predictae
 5 exequie pagentur, prior vel supprior monasterii singulis fratribus tunc presentibus iniungat, ut quilibet eorum tempore huiusmodi exequiarum in missa quam eodem die celebraturus est eiusdem matrone post eius decessum ac viri et progenitorum eius memoriam habeat cum interposicione collecte vel misse pro defunctis. Postquam eciam decessus eiusdem domine nobis patefiet, extunc et statim instituere volumus et promittimus pro salute anime
 10 sue exequias solempnes de sero cantando vigiliis cum 9 lectionibus et de mane missam pro defunctis, et sequentibus diebus ordinabimus servari tricesimum pro salute anime eius fundendo preces ad altissimum, ipsamque denique conscribemus in librum defunctorum qui de consuetudine monasterii singulis diebus post matutinale officium in choro legi consuevit. Applicamus eciam predictae matrone et domine omnia opus, bona et meritiora que
 15 in monasterio nostro ubilibet faciemus et ipsam participem facimus illorum per presentes nunc et temporibus futuris in vita et post mortem, et si contingeret Hallenses predictos census redimere, promittimus et volumus statim pecunia percepta hoc ipsum doctoribus predictae facultatis insinuare et cum eorum scitu et consilio alibi de censibus providere iuxta modum pretaxatum ac dictis doctoribus in 4^{or} florenis ut premencionatum est an-
 20 nuatim respondere. Si eciam, quod deus avertat, universitas ipsa Lipczensis dissolveretur, quibuscunque doctores facultatis theologicæ pro tunc existentes dictas exequias in eorum recessu dirigendas commiserint, illorum directionem et superintendenciam suscipere promittimus et spondemus et eisdem directoribus iuxta doctorum prefatorum dispositionem predictos 4^{or} florenos, pro quibus in summa capitali centum floreni Rinenses per sepefatam
 25 matronam sunt deputati, similiter tradere et solvere promittimus, quemadmodum doctoribus facultatis theologicæ ante solvere consuevimus et tenebamur. Et supradicta omnia et singula volumus firmiter et inconcusse observare, omnibus excusacionibus et excepcionibus postpositis. In quorum testimonium evidens et robur sigillum nostri conventus duximus presentibus appendendum. Datum anno domini M^o CCCC^o LXXIII^o in festo sancti Luce
 30 ewangeliste.

171.

Der Vikar des Bischofs Tilo von Merseburg beauftragt den Probst zu St. Thomas in Leipzig, den Johannes Brandenburg, Johannes Chemnitz und Genossen, die bei dem Excesse in Lindenau zugegen gewesen sind^a), nach Merseburg vor Gericht zu citiren. 1474 Jan. 6.

35 Hdschr.: Stadtbibliothek Leipzig Cod. mscpt. Rep. II, 10^a fol. 296^a.

Reverendi in Cristo patris et domini, domini Tylonis episcopi Merseburgensis vicarius in spiritualibus sacri concilii Magdeburgensis per diochesim (*sic*) Merseburgensem